



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 136. Episcopus Leodiensis dimisso Episcopatu uxorem ducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. Bullæ Martino V. attributæ. Prima de-
A. C. 1418. cernit promptam, & liberam Apostolico-
rum Brevium executionem. Cum enim
tempore Schismatis, vel Episcoporum
negligentia, vel repugnantia, non raro
Bullæ summorum Pontificum vel omni-
no non, vel tardius, quam S. Sedis auto-
ritas postularet, executioni datae fuissent,
Pontifex approbante Concilio præcepit,
ut deinceps Bullæ confessim ad effectum
perducerentur, etiamsi a nullo Prælato
relectæ ac approbatæ fuissent. Altera
omnino prohibet Mendicantibus, ne sub
quovis prætextu ad aliam Religionem
(Carthusianorum excepta) transirent,
adjecta excommunicationis poena, a qua
solus Pontifex, ac non nisi in mortis ar-
ticulo, absolvere valeat tam novum Or-
dinem ingressos, quam ad eum recipien-
tes. Tertia dispensat in lege vitandi ex-
communicatos, faltem si nominati & a
Judicibus publice denuntiati, vel notorii,
& convicti Clericorum percussores non
sint. An autem hæ Bullæ, præcipue ul-
tima re ipsa a Martino V. emanaverint,
dubitandi locus est.

§. CXXXVI.

*Episcopus Leodiensis dimisso Episco-
patu uxorem dicit.*

*Bzub. an.
1418. n. 8.*

Certior est dispensatio Joanni de Bava-
ria

ria a Pontifice concessa, vi cuius, quam- Sæcul. XV.
 vis non nisi Sub-Diaconatus Ordine ini- A. C. 1418.
 tiatus esset, viginti tamen octo annis Leo- Windeck
cap. 14.
 diensi Ecclesiæ præfectus, relicto Episco-
 patu uxorem duxit. Joannis enim Fra-
 ter Guilielmus Hollandiæ, Hannoniæ,
 Frisiæque Comes, absque prole mascula
 decepsit, Jacobina vero, una e Filiabus,
 dicti Comitis, consentiente populo, o-
 mnium ditionum regimen suscepit. Joan-
 nes ergo illam imperio deturbare sta-
 tuens, præprimis Dordracum, Roteroda-
 dum, & Briellam occupat. Dein suos
 Legatos Constantiam mittit, qui cum Cæ-
 sare conferrent, & Pontifici Episcopatus
 sui, utpote quem cum nubendi proposito
 conciliare non posset, cessionem offerrent.
 Imperator prævie obtentis a Papa omni-
 bus ad hoc necessariis, desponsat eidem
 neptem suam, Antonii, Brabantiae Ducis
 viduam, quam & uxorem Joannes Bava-
 rus duxit, postquam a Sigismundo earum
 Provinciarum, quas petierat, supremum
 Dominium, salvis illarum privilegiis, ob-
 tinuerat.

§. CXXXVII.

*Archiepiscopus Rigenensis in Episcopatu
Leodiensi successor.*

Igitur cum Joannes Bavarus Episcopa-
 tum suum ita abdicaret, Martinus V.

C c 4 suc-